



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei**

**Hurtado de Mendoza, Pedro**

**Antverpiae, 1634**

Sectio I. De objecto formali ac materiali disputationum de Deo homine.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

DISPUTATIONES  
DE  
DEO HOMINE.  
AUCTORE  
PETRO HURTADO  
DE MENDOZA

VALMASEDANO E SOCIETATE IESV,

In Regio Generalis Inquisitionis Concilio Censore: & in Salmanti-  
censi Academia Primario Sanctæ Theologiæ Professore.

PROOEMIUM.

SECTIO I. De obiecto formali, ac materiali disputationum de Deo Homine.

SECTIO II. Obiectiones.

SECTIO III. Vtrum ad hanc scientiam spectent possibilitas & existentia Incarnationis.

SECTIO IV. Vtrum hæc facultas sit scientia: an item speculativa?

SECTIO V. Vtrum hæc facultas sit pars Theologiæ: an verò illi subalternetur?

SECTIO VI. De voce Incarnatio.

SECTIO VII. Utilitas huius operis.

SECTIO I.

*De obiecto formali, ac materiali disputationum de Deo Homine.*

§. 1.



De obiecto formali, & materiali satis multa differui volumine 1. in proœmio Logicæ & Metaph. & volum. 2. disp. 2. sect. 1. disp. 4. & alibi: quæ nunc perstringenda. Obiectum formale est quod primò cognitum, vel amatum ducit in cognitionem, vel amorem alius obiecti. Id est, est ratio ob quam ipsum & alia cognoscuntur, & amantur. Obiectum autem materiale est, quod non ratione sui, sed alius cognoscitur, vel amatur. In syllogismo Præmissæ sunt obiectum formale, conclusio verò materiale, quia Præmissas cognoscimus per se ipsas, conclusionem autem per illas. Item finis, quia ratione sui amatur, est obiectum formale vo-

*Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. par. 1.*

luntatis: media verò, quia non propter se, sed propter finem amantur, sunt obiectum materiale. Hoc obiectum formale vocatur ab aliquibus *Formale quo*: materiale verò dicitur *Formale quod*. Ego primum appello formale absolute, & primum: hoc verò materiale, aut secundarium. Nunc non disputo de obiecto materiali remoto, qualis est paries visui cõparatus, quia non est propriè obiectum: sed impropriè & denominatiuè.

§. 2. Vtrumque obiectum partimur in inadæquatum, & adæquatum. Hoc spectatur per omnes actus alicuius facultatis: illud autem per aliquem; sed non per omnes. Color & lux sunt obiectum adæquatum facultatis visus, cuius nullus est actus nisi de luce, aut de luce & colore:

A

nigror

nigror autem, aut albedo sunt eius inadæquatum obiectum. Obiectum adæquatum proprium sunt omnia obiecta omnium actuum eius facultatis: obiectum autem attributionis adæquatum est quod per se cognoscitur per illam facultatem, & cuius gratia cætera cognoscuntur. Nec sunt idem obiectum adæquatum proprium, & obiectum adæquatum attributionis: Deus enim & corpus mobile sunt obiectum adæquatum Theologiæ & Physiçæ; non tamen adæquatum proprium: quia multis actibus Theologicis & physicis nec Deus attingitur, nec mobile corpus.

§ 3. Pono facultatem de Deo Homine esse partem Theologiæ: Theologia verò est facultas orta ex fide Catholica, & facultate naturali: habet enim pro obiecto formali tum auctoritatem, & reuelationem Dei: tum propositionem aliquam naturalem. Propositio enim deducta ex solis principijs naturalibus pertinet ad aliquam partem Philosophiæ: propositio autem deducta ex sola auctoritate, & reuelatione Dei pertinet ad fidem Catholicam: vt ostendi volum. 2. primis disput. propositio autem deducta ex duabus propositionibus reuelatis spectat ad fidem immediatè, vt dixi volum. 2. disp. 10. Restat igitur propositio deducta ex principijs fidei, & naturalibus, ad quam nec sufficit sola fides, nec sola natura; sed vtriusque principium est per se necessarium; quæ nec spectant ad fidem Catholicam, nec ad scientiam naturalem; sed ad tertiam quamdam facultatem, quam *Theologiam* vocamus: cuius conclusiones non sunt per se primò de fide; sunt autem tam certæ, vt sine censura Theologica negari non possint, quando inferuntur euidenter ex principijs fidei, & naturalibus, de qua facultate agendum est in prooemio disputationum de Deo: aliqua autem egi volum. 2. disp. 12.

§ 4. Vnde deduco obiectum formale disputationum de Deo Homine esse partim auctoritatem Dei & reuelationes de Deo Homine; partim principia physica, è quibus inferuntur conclusiones de Deo Homine. Quia cum hæ disputationes sint de quadam parte obiecti Theologiæ, & obiectum Theologiæ sit reuelatio & prin-

cipia naturalia; obiectum huius partis erit reuelatio, ac principia priuata ex quibus deducantur conclusiones de Deo Homine. Si enim querimus, vtrum Christus sit risiuus? vtitur hac propositione naturali: *Omnis homo est risiuus*; & hac de fide: *Christus est homo*. è quibus inferitur: *Ergo Christus est risiuus*. Essentia igitur hominis vt sic, & reuelationes de Christo, cum auctoritate Dei, sunt obiectum formale adæquatum ac proprium harum disputationum.

§ 5. Obiectum autem formale attributionis est conceptus constituens hominem Deum; vt spectat ad cognitionem de tota substantia Hominis Dei: non quidem, vt cognoscatur Deus secundum se, nec homo secundum se; sed vt cognoscatur humanitas & diuinitas, vt constituunt hominem Deum. Obiectum autem attributionis remotum harum disputationum est Deus secundum se; qui est obiectum adæquatum attributionis tam fidei, quam Theologiæ. Principia autem naturalia referuntur ad Deum secundum se, vt disputantur in Theologia. Obiectum autem materiale sunt omnes conclusiones obiectiæ, quæ deducuntur ex conceptu Dei Hominis reuelato à Deo, & ex principijs naturalibus. Obiectum autem adæquatum proprium, vt amplectitur materiale & formale, sunt auctoritas Dei, omnes reuelationes de Christo, de eius effectibus, & attributis, principia naturalia: è quibus cum illis deducuntur omnia quæ attinent ad Christum perfectè noscendum.

§ 6. Tandem concludo, ad cognoscendum hoc mysterium in *via* non esse necessarium aliud lumen distinctum à fide, facultate naturali, & habitu Theologiæ. Oppositum censuit Alensis; sed non probauit. Ratio à priori est, quia ad cognoscenda de Christo omnia, quæ Deus reuelat, sufficit fides, cuius obiectum est omne quod potest à Deo reuelari: ad cognoscenda verò humana Christi, sufficit Philosophia naturalis, ea docens ex conceptu hominis vt sic; ad inferendas autem conclusiones satis est habitus Theologiæ: ergo nullum est necessarium aliud lumen.